



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

97. An reus teneatur respondere si sciat aduersus se stare solum dictum denunciatoris? Et notatur non licere aliis cooperari cum reo ad confringendum carcerem. Et an coniunctissimi, ,quales sunt ...
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76413)

RESOL. XCVII.

An reus teneatur respondere, si sciat adversus se stare solum dictum denunciatoris?

Et notatur non licere aliis cooperari cum reo ad confringendum carcerem.

Et an coniunctissimi, quales sunt parentes, coniuges, fratres, possint iuvare reos auxilio, consilio, & pecunia?

Idem etiam dicendum sit de his, qui spectatis circumstantiis certissime timerent revelandos a reo fore, comprehendendos, puniendos, & infamandos a iudice.

Et tandem queritur, an reus innocens, qui re ipsa damnatur iniuste ad mortem, iuste tamen iuxta allegata, & probata, possit vi, & armis se defendere occidisse, & ab eius ministris, etiam occidendo eos, si necessarium sit? Ex p. 9. tr. 9. & Misc. 4. Ref. 43.

S. 1. **R**espondeo negativè cum Valentia to. 3. disp. 15. qu. 4. punct. 2. Sed ulterius requiritur alium testem omni exceptione maiorem, aut infamiam, aut indicia sufficientia; sicut neque actor, vel accusator sufficit ad faciendam semiplenam probationem; cum non habeat locum testis, nemo enim in propria causa testis est idoneus. Sed ait Dicastillus de inst. lib. 2. tract. 1. disp. 6. dub. 1. num. 12. iam ad hoc ferè semper utuntur cautela, vel astutia, nimirum Officiali publico ad id designato (Fiscalem appellant in Hispania, quamvis aliqui alio nomine etiam id muneris obeant) rem defert, qui alioqui erat accusaturus, & ille ipse accusaturus producit ut testis ab Officiali illo, vel Fiscali. Quæ omnia sæpè multum fraudis habere possunt, vel periculi, cum omnia iam tandem nitantur dicto, & auctoritati vnius fortasse nebulonis, vel ad id pecunia corrupti, qui denunciatoris vices gerit, & accusatoris per alium submissum ad hoc, & seipsum facit testem. Quæ omnia, an sint semiplena probatio alij viderint. Ego non puto. Vnde si constaret reo id ita factum esse, non puto eum debere suam causam censere tanquam semiplenè probatam. Porro, nec Accusatorem, nec Denunciatorem, qui intendit punitionem, posse esse testes, constat ex l. nullus, ff. de testib. cum hi suscipiant causam tanquam propriam; Hucusque Dicastillus. Sed nolo praxim receptam, si extet, condemnare; idè tu cum iudicibus timoratis cogita: multa enim à Fiscalibus efficiuntur, quæ ego valde debito in foro conscientie sustineri posse.

2. Notandum est hic obiter, Dicastillum ubi supra, dub. 4. num. 87. & segg. docere, non licere aliis cooperari cum reo ad confringendum carcerem; tum quia, non habet tantum ius pro ut reus, qui id potest ob magnum damnum, quod sibi imminet; tum quia turbaretur Republicæ ordo, si quicumque posset iuvare delinquentes ad confringendos carceres, & vincula. Ipse tamen, hoc non obstante, existimat, nomine rei intelligi, non tantum ipsam personam rei, sed etiam sibi coniunctissimos, qui ferè reputantur pro eadem personam, quales sunt parentes, coniuges, & fratres; imò in aliquibus Regnis, aut Prouinciis, audio quod prædicti coniunctissimi reo, licet auxilio, consilio, & pecunia iuvant reum sibi modo prædicto coniunctissimum, impunè id faciant. Idem etiam dicit de his, qui spectatis circumstantiis certissime timerent revelandos a reo fore, comprehendendos, puniendos, & infamandos a iudice, petinde enim est tunc reum atque seipsum liberare. Ita Dicastillus; quæ omnia ait, procedere in foro conscientie, & seruatis omnibus, quæ tenentur seruari reus.

3. Sed si aliquis hic querat, an reus innocens, qui tom. 8. tr. 5. re ipsa iniuste damnatur ad mortem, iuste tamen iuxta

allegata, & probata, possit vi, & armis se defendere à lege docti iudice, & ab eius ministris. Aragonius, & Salonijs, nam Ref. 41. qu. 69. art. 4. Couar. lib. 1. variar. c. 2. num. 13. Lessius c. 21. dub. 4. Suarez lib. 5. de leg. cap. 10. & Bonacina disp. 10. qu. 1. punct. 2. docent, quod non possit; (quod not. certum existimat Vasquez) quia index, quamvis sciat reum esse innocentem, potest, imò & tenetur, eum condemnare, & eius ministri sententiam exequi; ergo ei nullam iniuriam inferunt; ergo nequit se ab eis cum ipso in iniuria defendere, Bañez verò, quest. 64. art. 4. Valentia disp. 5. quest. 13. punct. 4. Angles quest. de restit. in iudicio, difficult. 3. dub. 2. Ledeima tractat. de iustitia commutativa, c. 8. concl. 8. Villalobos tract. 16. de reo, c. 9. Paris à Puteo, Lucas Pen. & Hippolytus, quos refert Couarruias, docent quod possit adhuc iudicem, & eius ministros occidendo, si necessarium sit, quod dicitur docuisse Victoria, & non displicet Becan. no, quest. 3. circa quest. 69. nec Lessio, ubi supra, & meritò, ait Hurtadus disp. 4. de reo, diff. 11. Quia ut ipse probauit, disp. 1. difficult. 7. absque iniustitia in innocentem nequit index, nec eius Ministri eum occidere, imò nec mutilare; ergo vi, & armis potest eam iniustitiam propulsare, etiam si index, & eius Ministri innocentiam illius ignorent, sicut potest innocens vi se defendere ab iniustore furioso, & etiam ab existimante iniunctibiliter quod possit illum occidere, imò & mutilare.

4. Sed ego adhæreo primæ sententiæ, & certum est secundam sententiam procedere in causa mortis, & mutilationis membri, non autem in reliquis causis.

RESOL. XCVIII.

An reus teneatur iudici respondere, si testium depositio non notificetur?

Et quid circa hoc cum Regularibus? Ex p. 3. tr. 5. & Misc. 1. Ref. Ref. 92. alijs 91.

S. 1. **H**ic casus frequenter solet accidere, & erit Confessariis perutilis, idè respondeo negativè; quia ei non constat, quod iuridicè interrogatur, unde teneatur respondere; & ita docet Ioseph. Aldrete Societatis Iesv de Reli. iof. disciplina tuenda, lib. 2. cap. 4. n. 7. ubi sic ait. Exigitur quod reus nouerit se iuridicè interrogari, propter quam causam asserunt necessarium esse, quod testium depositio reo notificetur, ut sciat ad obediendum se teneri. Ita Soto, Nauarrus, Corduba, Salzedo, Tolerus, Nauarra, & alij. hoc autem necessarium non esse voluere nonnulli, ut Lopez, Areualus, Iulius Clarus, Gutierrez, & alij. In qua questione minimè necessarium putamus, quod verius sit, in stricta disputandi ratione indagare; cum reus tot pro se habeat grauissimos Doctores, & si iudices consueverint eorum non admittere opinionem, id efficit; ut ita è contrariò, & interroganti, rei delicta semper occultare non vereantur. Quapropter consultius est tutiorem eligere viam, eam nimirum quæ plenè demonstrat, eos omnino teneri ad veritatem confitendam propter testium depositionem ipsis notificatam, ne rei propter contrariam opinionem illi fauentis veritatem occultent. Sic Aldrete.

2. Et ita docent Caietanus, & Aragonius in 2. 2. quest. 69. art. 2. Ioannes de la Cruz in direct. part. 1. pr. 8. art. 3. dub. 9. conclus. 1. Sanchez in summ. tom. 1. lib. 3. c. 7. num. 15. Salonijs in 2. 2. tom. 1. q. 69. art. 2. controuers. 2. conclus. 2. Lessius lib. 2. cap. 31. dub. 3. num. 10. Segura de Auolos in direct. iudic. part. 2. cap. 14. num. 30. & Ludouicus Miranda in ordine iudiciario, tom. 1. quest. 19. art. 11. concl. 1. quem omnino vide. Dicendum est igitur, quod iudiciorum,

Sup. hoc infra lege doctrinā Ref. 108. per totam & non pigebit.

Sup. hoc in tom. 8. tr. 5.

Sup. hoc quod hic docetur in Refol. not. præterita, & in eodem 9.

Sup. hoc in tom. 5. tr. 10. Refol. 52. & quamvis non plenè sup. placet lege hic supra doctrinam Ref. 96. & alterius 9. eius not.